

perator augustus Venerabili viro Hetti Treverensium ecclesiae archiepiscopo. Neminem in genere humano tam pravi iudicii inveniri posse arbitramur, cui quidem mentis constet integritas, qui interrogatus utrum rem suam familiarem et domestica officia per honestas et munditiarum ornatu praeditas, an per turpes et sordidas personas tractari atque administrari velit, non statim honestatem turpitudini censeat praeferendam ¹⁾, seque malle per mundos quam sordidos mundum ac decorum sibi servitium exhiberi. Cum hoc ita natura comparatum sit, ut administrationem rei ²⁾ nostrae familiaris non nisi a mundis et sorde carentibus procurari velimus, quid de officio ad divinum cultum pertinente censendum, per quod deus homini conciliatur et humanorum delictorum nexus mediatione ³⁾ precum et sacrosancti sacrificii litatione resolvuntur? Nonne non solum per mundos et sorde carentes, sed etiam omni praeditas honestate personas debet procurari? Praesertim cum ipse deus in lege sua Moysen famulum suum de sui cultus officio instruens, sacerdotem qui ad altare munus inferret, omni corporis vitio carentem eligere praecepit dicens ⁴⁾: ‘Loquere ad Aaron: Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes deo suo nec accedet ad ministerium ejus, si caecus fuerit, si claudus, si vel parvo vel grandi et torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus’ et cetera quae in Levitico leguntur. Quapropter et nos ob amorem et honorem dei ac domini nostri Jesu Christi et ob exaltationem sanctae matris nostrae catholicae ecclesiae, quae est corpus ejus, in qua et nos membrum ipsius per bona opera effici cupimus, Consuetudinem pravam et valde reprehensibilem, qua usque in praesens viles quaeque et servili conditione obligatae personae ad presbyteratus ordinem passim admittebantur, abolere cupientes, Congregatis undique sanctarum ecclesiarum rectoribus, episcopis videlicet et abbatibus, et adunato sollemniter populi nostri conventu, conpertaque omnium super hujusce modi negotio voluntate, adnuente adque consentiente, et quod his majus est, etiam petente sacrosancti concilii devota atque concordi unanimitate, Statuimus atque decrevimus, ut abhinc in futurum nulla vilis et servili conditioni obnoxia persona ad gradum presbyterii adspirare permittatur ⁵⁾. Sed si necessitas exegerit ⁶⁾, ut de servitiis vel nostris vel alienis ad hunc ordinem ⁷⁾ aliquis admitti debeat, iugo servitutis prius solemniter absolutus, sic tandem manus inpositionem liber accipiat. Proinde has nostrae imperialis et regiae auctoritatis litteras tuae

1) praeferenda Hs.

2) regni Hs.

3) meditatione Hs.

4) Levit. 21, 17.

5) permitatur Hs.

6) exigerit Hs.

7) o. accipiat a. Hs. augenscheinlich aus Anlass einer Dittographie (accipiat) in der Formel, wo wegen des folgenden ‘accipiat’ geändert war.